



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

VII. Quintum argumentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

## PROPOSITIO IV.


bet postrema hæc sententia, ut quæ non modo tot Interpretum consensu, sed ratione etiam nitatur; cum credibilius sit, ut pote usitatus, Librum à se elaboratum nomine suo auctorem inscripsisse, quam alienum ei falso prefixisse) Zorobabelis esse Grotius mera conjectura probavit, putare se dicens *Pastorem*, qui *Verba sapientum per magistrorum consilium collegisse* sè ait undecimo commate postremi capituli, eum esse Zorobabelem; filium vero ipsius Abiudem, quem veriu sequente alloquitur. Quæ cur ad Zorobabelem potius referat, quam ad Salathielem, aut Eliacimum, aut alium quemcunque de posteris corum, cauillam proflus nullam video. Cur autem Salomoni Librum eriperet, hoc habuit argumentum, quod in eo multa occurrant vocabula, quæ non alibi quam in Daniele, Esdra, & Chaldaicis Interpretibus reperiuntur. Ego vero hanc peregrinarum vocum copiam à Salomone ipso provenire potuisse reor: nam cum Librum scripsiter jam senex, ut Ebraei tradunt, & verisimile est, eo iam tempore mulierum extrancarum, Ægyptiarum, Moabitum, Ammonitum, Idumeorum, Sidoniarum, & Hethætarum ingentem numerum Hierosolymam traduxerat, sequitur ita illis permiserat, ut quæ primitos illius ritus & avitam inquinarent religionem, mirum non sit patriam quoque ipsius loquelam corrupisse: ad quam rem quantum muliebris sexus valeat, quotidiana experientia compertum est. Ut omittam per mihi levem videri causam, quamobrem sacrorum Scriptorum patria aut ætas vocentur in dubium, cum nova aliquæ & insitutæ dictiones in iis occurruint. Ac si nobis omnes puri & sinceri Ebraïsmi voces cognitæ sint, quas ex sola sancta Scriptura lectione perspectas habere possumus; ac non sape pro peregrinis habeamus, quæ vernaculae fuerint ac gentilitia. Quot enim inter Ebraeos vocabula fuisse putandum est, assiduo usu contrita, ac penitus domestica, quæ à sacris Scriptoribus nusquam adhibita fuit, quod eorum adhibendorum nulla se dederit occasio? Quod si ex illis unus aliquis voces ab aliis neglectas usurpaverit, ac eas deinde in Chaldaicis, si forte, aut Arabicis nanciscamur scriptioribus, meritone idcirco aut Chaldaicum, aut Arabem dicemus Scriptorem, qui vulgo Judeus fuerit habitus; aut recentiorem, qui antiquissimum potius est ut dicamus voces illas cum Chaldaicis aut Arabicis Judæos habuisse communes, quorum inter loquelas magnam affinitatem fuisse certum est? Ergo ut de Scriptoris ætate aut patria certius ex loquela arbitrium fieri possit, non vocule sufficiunt aliquot, sed stilus, locutiones, & alienarum dictiorum numerus, spectanda sunt. Atque hæc non de Ecclesiastis solum libro, sed de reliquis etiam Voluminibus sacris dictum velim.

*Quartum argumentum.*  
Ecc. 8. 2.

VI. Ad nostram opinionem labefactandam usurpari quoque potest istud è capite Ecclesiastæ octavo: *Ego os regis observo*, quod de se Salomon profiteri non potuit, qui Rex fuit, nec ullum ipse Regem observandum habuit. Adhiberi hic posset Hieronymi expositi, non alium Regem quam Deum ipsum significari censentis. Verum omnino legendum: *observa*; sic enim Interpretes Septuaginta: *σού γαρ έτεις φύλαξον*. *Os Regis observa*: ita & Thargum, & Syrus, & Arabs; & hunc subesse sensum admonet ipse Hieronymus. Quod autem Ebraica habent אָנָי, de nihilo est: nec enim id sibi vult, *Ego observo*, alioqui legendum fore, אָנָי, in Benoni; cum legatur, אָנִי שְׁמַר, in Imperativo: *Ego observo*: hoc est, *Ego tibi precipo*, ut *oberves*; nam accentus עֲזֵזֶנוּ indicates sequngendum esse, וְאַל to sequentibus.

*Quintum argumentum.*  
Luth. Serm.  
Convivial. De  
libr. Veter. &  
Novi Testam.

VII. Minime vero hic seria responsione refellere dignum est, quod de Ecclesiaste dixit Lutherus: *Ecclesiastes liber non est plenus; multa habet abrupta; neque ocreis, neque calcaribus indutus est; hoc est nullam habet perfectam sententiam: equitat in arundine longa, sicuti & ego, dum eram in monasterio*. Quicquid enim animum attentum, Spiritus sancti gratia, luce, & afflato implorato, ad eum legendum appulerit, nihil in eo falsebustum, nihil abruptum, nihil inane aut imperfectum, sed plena omnia & integra reperiet.



## DE CANTICO CANTICORUM.

I. Disputatur de Auctore Cantici Canticorum. Varie opinione proponuntur. Salomon adscribitur, ejusque probatur γνωστική & antiquitas. II. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. III. Secundum argumentum. IV. Tertium argumentum. V. Quartum argumentum.

*Disputatur de Auctore*

I. **A**UCTOR Cantici canticorum, qui Salomon esse tam certis deprehenditur argumentis, & tanto scriptorum omnium consensu agnoscitur, in